



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de
Antverpiae, 1610**

De gabella & vectigalis solutione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96556)

apposita luderetur? & Hadr. in 4. sent. in d. c. quia in superioribus probare conatur, non teneri iure ad restitutionem, ex ea ratione, quod leges pecuniam in ludo perditam, & ludenti qualitatem iure contractis, in penam auferant ab eo, qui acquisiuit, usque; eam repetendi concedant peridenti, uti manifestum est. Igitur qui potest solutam iam pecuniam repetere legis decreto, poterit tamen nondum solutam iuste retinere. Frustra enim quis petit, quod statim restitutus est. *dolo. ff. doli excepti*. Deinde si dixeris, has leges poenales esse, nec in enim iudicio obtinere ante iudicis condemnationem, id verum est, quoties ad legis poenam est necessaria iudicis executio. nam ubi poena eius est nature, aut nulla indigeat iudicis executione, tunc & in foro conscientiae poenalis lex omnino seruanda est, vimque & obligationem habet. Fit igitur, ut in hac specie nulla detur restituendi obligatio. Rursus contrariam sententiam veriorum esse censent Io. à Medina d. q. 22. & Alfonso à Castro in d. coro. 3. quibus suffragatur quod lex concedens peridenti in ludo repetitionem, non auferit ex hoc dominium nec ius ab eo, qui iuxta leges ludi pecuniam lucratus est, sed tantum in poenam ludentium permittit, & concedit repetitionem, & statuit, quod iudex cogat eum, qui ex ludo pecuniam habuit, eam peridenti reddere, ex quibus per legem ipsam non liberatur promittens à solutione pecuniae, quam alteri soluere promittit, ergo tenetur soluere ante iudicis condemnationem. Praeterea non sequitur, perdens potest solutam pecuniam repetere, ergo eam nondum solutam non tenetur soluere. Nam promittens cum iuramento soluere iuratus tenetur eas soluere omnino, & tamen habet is repetendi ius. *cap. debitores. de iur. iur.* deinde si perdens potest iuste non soluere pecuniam promissam, ergo alter, qui eam lucratus est, nullum ex ratione ludi acquisiuit dominium in re, qua lucratus est, nec ius aliquid habet ad illam: quia si habet dominium, aut ius ad illam, inde conuincitur euidenter peridentem teneri ad solutionem pecuniae promissae, quam perdidit, quia tenetur reddere alienum. Quibus tandem fit, ut huius questionis decisio satis dubia videri possit.

Praeterea quia restitutio lucri contingentis in ludo, quae in poenam à iure indicta est, non ipso iure, sed per sententiam, & iudicis condemnationem fieri debet: atque ita ante hanc condemnationem minime tenetur qui lucratus est, restituere, nec potest qui perdidit ius sibi dicere propria autoritate. Facit ad haec, quod quandoque licet humana lex actionem minime concedat ad petitionem alicuius rei, non ex hoc alteram liberat, vel absoluit ab obligatione illam rem restituendi, sicuti dicitur Thom. adnotauit in 2. 2. q. 77. art. 1. ad primum.

Ego sane in hac difficili questione certo scio, Hadriani sententiam veram esse apud nos, qui huius regni constitutionibus tenemur obedire, propter legem à Carolo Casare laram, qua vetuit etiam ludos licitos pecunia credita, statuentis neminem posse ludere nisi pecunia presenti & apposita, quod & ipse vir doctissimus Alfonso à Castro in d. corol. fatetur. Nam hac ipsa lege promissio facta inter ludentes nulla efficitur, & inutilis, & ideo etiam in iudicio animae nulla habet vim, nec obligationem inducit, sicuti nec in foro iudiciali: idque apud me certissimi iuris est.

Sed & remota regia constitutione mihi magis applaudet Hadriani sententia. Nam licet sciam, nec negare possim, acquirentem aliquid ex ludo turum esse in animae iudicio ad eius retentionem, quia ratione conventionis, & mutui consensu iure naturali vere id acquisierit, nec lex civilis, quae inducit restitutionem in poenam ludi prohibiti, ante iudicis condemnationem obtinet: video tamen iustissimam humanam legem non tantum lucranti negare actionem ad petendam pecuniam causa ludi promissam, sed & concedere peridenti, pecuniam iam lucranti traditam, & acquisitam repetitionem. unde signum est profecto maximum, lege humana non solum non habere lucranti ius ad petendum, sed & competere peridenti ius ad pecuniam perditam repetendam, & inde fit, ut in poenam ipso iure absque ulla sententia iudicis is qui lucratus est promissam pecuniam constituitur incapax, & inhabilis iuris petendi eam & id iust transferatur in peridentem. Quae obrem cum isthaec poena ipso iure nulla requirat iudicis sententiam, nec condemnationem, statim etiam in iudicio animae iuste potest ille, quem lex civilis liberum reddit à solutione pecuniae promissae, & praeterea dat ei si soluerit repetitionem, retinere pecuniam promissam, cum promissio nulla sit, nec eam tenetur promittens seruare. Eandem opinionem probat regula iuris, quae dicitur exceptionem, & reten-

tionem ei competere cui actio datur. *in iur. ff. cui damus. ff. de reg. iur. l. creditor. C. de pact. l. 1. §. bis autem. ff. de super. l. ex causa. ad agendum. de reg. iur. in 6.* sed promittens ludi causa habet actionem ad repetendum quod dedit. ut plane fatetur qui Hadriano repetitionem improbat: ergo si nodum, soluerit, habet exemptionem, & ius retinendi rem promissam. Idem probatur quia si perdens in ludo potest iuste lege humana repetere rem ludo amissam: profecto poterit iustus eam nondum solutam retinere. Nam utcumque sit ac dubitari possit, an ex eo quod lege negatur actio ad aliquid petendum, eius rei possessio iuste eam valeat retinere quod ex variis causis detinuit poterit: tamen quoties lex humana eadem & iusta negat actionem ad aliquam rem petendam: & simul concedit eiusdem rei repetitionem ipsi possessori, si eam petenti dederit: tunc proculdubio existimandum est iustissime eam rem à possessore detineri, quia lex ipsa ei ad hanc possessionem, auctoritate approbatione quadam praestat. Nec mihi persuadere possum, quod Titius iuste valeat centum Sempronio soluta petere ab eo, & idem Titius eadem centum tenetur saltem conscientiae iudicio Sempronio nondum soluta omnino soluere. etenim hic circuitus vitandus est: quippe qui nulla in republica utilitate afferat. exceptis quibusdam casibus, quales est, qui in contrarium adducitur *ex cap. debitores. cum illud sit speciale iuramentum: quemadmodum alibi dicitur. Na ex vi simplicis promissionis absque iuramentum religione, nemo doctus negabit in eo casu dari repetitionem post solutam pecuniam promissam, & fortiori ratione in eam retinendi promittentem competere. unde argumentatio ab eo capite deducta facillime tollitur. Sic & spoliatus ante omnem restituendus est, licet sit praedo, & licet post restitutionem detur spoliatus ius repetendi res illas, quibus alteri spoliauerat: idque fit in odium spoliantis. Et tamen in conscientiae iudicio ego non compellerem spoliantem ad restitutionem rerum, quae vere ipsius sunt, & quibus alterum propria auctoritate spoliauerit: tamen eum dignum esse poenitentiam, & poena censeam ob id quod illicite iuris decisionibus, & constitutionibus refragantibus, iudicis partes assumptur: de quo aliquid tradidimus *lib. 1. vari. resolut. c. 2. n. 15.**

Hinc tolluntur plura, quae aduersus Hadriani opinionem adduci solent. Potissimum illud quod de iure & dominio lucrantis in re ludo acquisita, traditum est: siquidem qui rem aliquam in ludo acquisiuit, dominium, & ius in ea habet post eius traditionem, ratione tacitae, vel expressae conventionis consentu peridentis factam: donec per sententiam iudicis ea re priuetur, at ante traditionem profecto nullum ius habet ad illam rem: quia iure illam exigendi per legem priuatur ipso facto absque ulla iudicis declaratione in poenam delicti, quod ludendo commisit: mo ius civile, & humanae leges hanc priuationem inducentes expressim approbant peridentis retentionem: cum tandem, & si is tradiderit rem ludo amissam & perditam, concedant ei ius eam repetendi. Quod secus est in specie, quam tradit Thomas 2. 2. q. 77. art. 1. in tractatu resolutionis intra dimidia contingentis, quia etsi humana lex decepto actionem negauerit, non tamen ex hoc approbat deceptantis retentionem, nec eum tutum reddit, quem admodum alibi latius explicuimus. Sed & post primam huius operis editionem legi Dom. Sot. qui *lib. 4. de iur. & iur. q. 5. art. 2. dicitur* quod Hadrianus respondit.

Ceterum ex hac disputatione illud erit adnotandum, qui promissam in ludo pecuniam lucranti soluerit, & tradiderit, ratione promissionis emissa absque appositae pecuniae: post hanc solutionem iuste lege humana eandem pecuniam repetere, quae soluit ex vi promissionis, & conventionis cum altero contractae: & fortassis existimans se teneri ad eam solutionem etiam in animae iudicio: cum habuerit ad hanc opinionem doctissimorum virorum auctoritatem.

§. QVINTVS.

De Gabellis & vectigalibus soluendis.

- 1 Vectigal quid sit: & item ius regale quod Hispani dicunt Alcaual.
- 2 Lex humana aliquid prohibens, vel praecipiens cum iura adiectis, ac obliget transgressorem ad culpam mortalem, vel venialem.
- 3 Lex humana obligat transgressorem ad culpam quandam mortalem, quandoque venialem.
- 4 Lex pure poenalis non ex se ipsa inducat obligationem ad culpam mortalem vel venialem.

Non potest qui licite s' audare vectigal principis debitu' imo tenetur in
indivisi' animo ad restitutionem. Et ibidem de iure principis in vectiga-
libus exigendis Et populi in soluendis.

Vndecimo ad huius tractatus lucidationem oportet in-
quirere, an teneatur ad restitutionem is, qui regē, aut
eos, qui eius nomine vectigalia iuraque regia ex mercibus
recipiunt, in rebus his fraudaverit, omittens per fraudē, aut
simulationem hæc iura regi reddere? Quibusdam visum
est, non teneri hunc ad restitutionem, cuius quidem opi-
onis disputationi præmittit inter alios reditus, qui prin-
cipibus à subditis hominibus debentur, duo iura præcipua
esse. Primum, vectigal quod pro rebus civitati, aut provincie
invectis, vel euectis soluitur, olim octava pars debita erat. I.
ex præfatione. C. de vectigalibus regia l. 5. tit. 7. par. 5. hodie autē deci-
ma est omnium rerum pars. dicitur etiam vectigal tributū,
quod reipublica ex fundis, & prædiis à conductoribus præ-
cipua l. 1. §. si ager vectigal. l. eum qui vectigal. & ibi Alc. ff. de verb. sig-
nif. & idē Alc. lib. 3. di. punct. c. 10. atque hinc fūdi vectigales di-
cuntur hi, qui Reipublica tributū pendere tenentur. Alterū
iūs, quod modo primū apud Hispanos competit, & redditur,
ad decimā pretii partem attinet, omnium quidem rerū, quæ
venduntur publice, vel privatim, siue res sint mobiles, siue
immobiles: hoc tributū vulgo appellamus Alcauala: quidam
æquod exteros, gabellā dicunt: Quanquā & ea dictio magis
in universum accipitur: sicuti tradit post alios Bertachinus
in tract. de gabellis in principio.

His denique constitutis Ang. in Summa, in verb. pedagium. q.
6. opinatur in conscientia iudicio non esse condemnandū
ad restitutionē eū, qui hæc iura, & tributa principi, aut pub-
licanis non reddiderit, quoties lex, quæ ea indixit, etū iu-
staliū, penam tamen temporalem non reddendi ob hæc cau-
sam imponit. Huius sententiæ ea est ratio, quod vel hic agimus
de pena legis, & hæc non debetur in conscientia iudicio.
glin. s. in fraternitas. l. 2. q. 2. vel de se ipsa principali, & præci-
pua legis, vi & obligatione ad soluendum hoc tributum: &
hæc non obligat quemquā ad mortalem culpam, quoties
lex ipsa humana penam addit præcepto legis itidē huma-
ne: quasi satis censet legislator transgressore humane le-
gis pena temporali puniri: nec eum velit ad mortale culpā
obligare. Hanc etiam sententiam quod humana lex ali-
quid præcipiens, & penam addens temporalem, non ob-
liget transgressore ad mortalem culpā: cum satis sit trans-
gressorem ipsum se obulisse periculo poene, tenent, & ve-
ram esse existimant Matthæ. Mathesil. not. ab. 78. Capola conf. si-
mil. 3. col. 3. Decius parū sibi cōstans. in c. nā concupiscentiā. 2. le-
tione. de const. & Lud. Gomez. in c. 2. n. 60. de const. lib. 6. Quorum
opinio à peritque probatur auctoritate Hofst. & Io. And. in
c. relatu. de cler. non resid. qui idem tenent, & eos sequuntur Iaf.
in l. 2. n. 143. C. de iure inphyt. idem in §. item si quis postulant. n. 78. in-
stit. de officio.

Hæc vero conclusio iure defendi non potest: præterquā
quod si vera esset, fere tota humanarū legū vis periret, pa-
rumque vtilis esset legū latorū cura, & diligentia, si poena,
quam ipsi legum conditores legibus ad maiorem earū vim
ad didere, eas imbecilliores redderet: obiter tamen contra-
riā sententiam vti verissimā constituimus, & probauimus.
isque breuiter agemus, quandoquidem omnium eruditissi-
me disputationem hanc peregerit Alfonso à Castro lib. 1.
de poena legis panalis. c. 8. & sequenti. Sit igitur conclusio du-
bio procul certissima: Humana lex, quæ iusta sit, vi humani
præcepti ad culpam eius transgressores obligat, quandoque
mortalem, quandoque venialem, etiā si poenā humanam præ-
cepto legis cōditor addiderit. Prima huius assertionis pars
constat ex eo, quod humana potestas à diuina deriuatur.
Præter c. 8. scriptum est: Per ne reges regnant, & conditores legum
iusta decernunt. Hoc ipsum & Paulus docet ad Romanos,
cap. 13. Omnis, inquit, anima potestatibus sublimioribus subdita
est. Non est enim potestas nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt.
Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt ip-
sibus ordinationem acquirunt. Qui quidē locus manifestam reddit
huius partis probationē. Sed hoc apparet Deuter. c. 17. qui su-
perberit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tem-
pore ministrat domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur
homō ille: poena vero mortis lege Mosæica nunquā in-
flicta est, nisi pro mortali culpa: sicuti Theologi frequenti-
ssime fatentur & probant. Ergo apparet, transgressore hu-
manæ legis ad mortalem culpam quodoque obligari, idem
deductur ex eo quod filius non obediens patri, morta-

lem contrahit culpam: quemadmodum eadem, qua proxime
vtebamur argumentatione, colligitur ex cap. 21. Dent. dū
inibi sanctum est, filium non obediens patri, lapidibus
occidendū fore. At non minor est potestas principis in Re-
publica, quam patrisfamilias in priuata domo: imo tanto
maior, quanto maius est bonum totius communitatis bono
particulari & domestico: quod ordinatur ad bonum totius
civitatis, & Reipublica, auctore Aristor. lib. 1. Polit. c. 1. igitur
legi humanæ obediendum est sub mortali quandoque culpa.
est etenim iure naturali in omni humana societate ius or-
do necessarius, in omni ordine suum caput, cui reliqui sub-
esse obediunt tenentur, tandem ne in re ab alijs ad-
modum probata diutius immoremur, ita tenendum est,
humanam legem siue Ecclesiasticam siue sæcularem, quan-
doque ad mortalem, quandoque ad venialem culpam obli-
gare. quod satis ostendunt Diuus Thom. 2. 2. q. 96. art. 4. & ibi
Caietan. Gabriel. in 4. sentent. distinct. 16. q. 3. no. ab. 6. Florent. 1.
part. 1. tit. 18. c. 1. §. 2. Hadria. quodlib. 6. art. 1. Ioan. Maior. in 4. sent.
dist. 15. q. 4. & in 3. sent. distinct. 37. q. 16. Driedoni. de libertate Chri-
sti. lib. 1. Alfonso à Castro lib. 1. de pesti. legis panalis. cap. 4. & 5.
tradunt Abb. & inibi Fel. & Dec. in c. 1. gl. & Dd. in c. que in Ec-
clesiarum deconstit. idem Panor. in cap. quia pleriq. de immunit. Eccl. &
in proemio Rex pacificus. col. 4. Iaf. in l. nemo potest. ff. de legat. 1. nu. 106.
Abb. in c. 2. de maiori. & obediens. Secunda conclusionis pars di-
ctat, non semper legem humanam obligari eius transgres-
sorem ad mortalem culpam, sed quandoque tantū ad venia-
lem. hoc enim habet quæcunq. lex: siquidem nec lex natu-
ralis nec diuina semper obligat transgressorem ad morta-
lem culpam, sicuti post alios docent Caietan. 2. 2. q. 186. art. 9.
ad 2. idē Iaf. in l. 2. q. 2. questionum, quest. 21. Hadria. dicit. quodlib. lib.
6. art. 2. Alber. Pighius lib. 4. de Eccl. Hierarchia. cap. 2. & Al-
fonso à Castro d. lib. 1. cap. 5. documento 4. lex siquidem natura-
lis mendacium prohibet: non tamen mendacium est sem-
per mortale crimen: sed passim veniale: vt docet Thomas
2. 2. questio. 110. artic. 3. & probatur in cap. primum. 22. quest. 2.
Sic & lex naturalis præscribit nobis in cibo, & potu obser-
uare medium, iac regulam temperantiæ, quæ in eo consistit,
vt tantum, & non vitra sumatur, quantum exigit necessitas,
aut vtilitas corporis: cuius transgressio gula dicitur, & in-
ter septem capitalia crimina connumeratur. Attamen non
semper gula peccatū est mortale: imo veniale crimen est:
nisi excessus sit plane immodicus, vel excedentem obiciat
periculo peccati mortalis: quod omnes fatentur. Quando
autem humana lex obliget illum transgressorem ad morta-
le culpam: colligitur ex ipsius legislatoris intētionē, & vo-
luntate, quæ ex verbis legis deduci poterit, & præterea inde
presumitur, quod finis à lege prætenfus, & in quem lex diri-
gitur, maxime est Reipublicæ vtilis. Nam hinc constat eius
transgressionem esse Reipublicæ perniciosam, & propterea
satis consonum est, quod tunc interpretemur legislatorē
voluisse transgressores mortalem contrahere culpam: sicuti
adnotarunt fere omnes qui paulo ante nominati fuere
citati: & præsertim Hadrianus quodlib. 6. art. 2. Dec. in cap. nam.
concupiscentiam. col. vi. de consti. Ioan. Dried. de liberi. Christi. pag. 266.
quod ex varijs causis cautissime est diffiniendum. Nec inter-
rim omittendum est transgressorem legis humanæ cuius-
cunque, siue inducentis culpam venialem, siue mortalem,
semper mortalem contrahere culpam, si ex cōtemptu eam
transgrediat: si quidem contemptus ipse mortalem culpā
semper habet secundum omnium Theologorum, & Cano-
nistarum Resolutionem: quæ colligitur ex Thoma 2. 2. q.
186. art. 9. Hadria. d. art. 2. Alti. o. d. lib. 2. tract. 19. & lib. 3.
tract. 9. Gerson. lect. 5. de vita anime spiritali. Io. And. & Dd. in c.
saceris. de his qua vi metusue. caus. sum.

Vltima conclusionis pars dictat humanam legem aliquid
sub poena temporali prohibentem, quod nec diuina, nec natu-
rali prohibentem erat, ad culpam quandoque mortalem ob-
ligare. nec enim ex eo obligatio ad mortale crimen cessat,
nec tollitur, quod à legis latore poena fuerit transgressori
imposita, cui sententiæ aduersus prioris opinionis asser-
tes subscribere, Domin. à S. Germiniano, & Francus in c.
perpetua. not. 6. & in c. commissa. 2. not. de elec. in 6. gl. & idem Domi-
ni. in c. 2. de const. lib. 6. in verb. sententiis. Felin. & Dec. in 1. lect. c. cō-
cupiscentiā. de const. Syluest. in arch. inobediencia. Io. Dried. lib. 1. de
libert. Christian. art. 3. Io. à Medina de restit. q. 19. & q. 37. ad sextum.
omnium dubio procul diligentissime Alfonso à Castro lib.
1. de pesti. l. panalis. cap. 8. & sequenti. Bandē opinionem probat
Domin. Sor. d. 1. de iust. & iur. q. 6. art. 5. probatur hæc pars. Nam
583 huma-

humana lex potest obligare, etiam si laica sit, eius transgressorem ad culpam mortalem, & simul poenam aduersus eum statuere, ita quidem, ut transgressor huius legis teneatur ad culpam simul & poenam: cum poena non sit culpe contraria, ut non possit simul cum ea stare: ergo lex humana præcipiens aliquid poena statuta, obligat transgressorem ad culpam. Quod si dixeris verum hoc esse: sed ex intentione legislatoris probari priorem sententiam: cum statuens poenam aduersus transgressores, nolit ad culpam eos obligare: quasi non desit hac in parte potestas, sed voluntas: certe miror, nec possum ita se hanc perpendere, ut existimem legis conditor, qui poenam addit legi ad eius maiorem vim, & executionem, velle imbecillior legem ab eo conditam ex hoc reddere, & efficere tollendo ab ea culpe obligationem. Præsertim quod plerumque ex poena legi, & præcepto addita colligitur, legislatorem habuisse voluntatem obligandi ad mortalem culpam. etenim ex poena executionis à lege indita, constat eam legem ad mortalem culpam obligare: cum alioqui non debeat executioni quis nisi ob mortalem culpam. *c. nemo & in certum. r. q. 3. sic & Scotus notauit in 4. sentent. dist. 1. q. 6. in leg. Moisaica nusquam statuta fuisse poenam mortis, nisi ubi ex transgressione legis culpa mortalis constitueretur. Et profecto iniqua ipse censeret humanam legem, quæ poenam mortis, aut mutilationis membrorum imponeret pro transgressione alicuius legis, quæ ob publicum, leue tamē incommodam, non esset digna mortali culpa. tamen si fatear, posse legislatorem humanum aliquid prohibere graui apposita poena, & tamen expressim insinuare se nolle obligare transgressorem ad mortalem culpam.*

Ex his patet nihil referre, an ipsa lex poenalis fuerit simul statuta cum ipsa lege morali, quæ prohibet id, cuius transgressio poenam legis habet: an separatim ab eodem an ab alio legis latore. eadem enim ratio, quæ posteriorem opinionem probat, cum lex simul prohibet, & poenam statuit, probat eandem veram esse: cum ex intervallo ab eodem, vel ab alio poenalis lex statuitur contra legis iam lata transgressores: & è controuerso. licet Iason. in d. l. 2. c. de iure emphy. n. 143. existimauerit, priorē sententiam veram esse, ubi constitutio vel sit facta simul prohibens, & poenam addens transgressioni: vel ab eo, qui præcipit, aut prohibuit, ex intervallo condita fuerit poenalis pura lex poenam adiiciens priori constitutioni: quod cogitandum dimisit Ludou. Gomez. in d. c. 2. n. 60. de constitutio. in sexto.

Hinc constat an verum sit quod plerique adnotarunt priorē sententiam admittentes, ubi lex poenalis esset pure poenalis, quæ nihil præciperet, aut prohiberet, sed tantum poenam statuerit hoc vel illud facienti. Nam in hac specie legem istam non obligare ad mortalem, nec venialem culpam, responderunt Henr. à Gandauo quod l. 3. q. 22. & Io. Driedo. in d. lib. de libert. Christi. qui legem pure poenalem distinguunt à lege mixta: quæ simul certum statuit præcipiendo, vel prohibendo: & transgressorem poena puniendum esse ceter. Sed quia Henric. hanc responsionem non ita simpliciter proponit, sed in hunc sensum, ut lex pure poenalis ex se ipsa & ex verborum forma non obliget ad culpam, sed vel ex eo quod præmittat id, propter quod poenam imponit esse vel prohibendum, vel præceptum lege diuina, vel humana & deinde concedit, legem pure poenalem ex intentione legislatoris poenam statuens ad culpam obligare non ex se ipsa. huius conclusionis auctor est Alfonso à Castro lib. 1. de potestate legis poenalis. c. 9. post Caiet. quæ ipse citat 2. q. 187. art. 5. eo etenim capite doctissimus ille vir, maximis rationibus probare nititur, legem pure poenalem ex se ipsa, nisi alia præcesserit naturalis, diuina, vel humana lex, minime obligare ex forma verborum & quatenus poenalis est, ad culpam. mortalem nec venialem. addit præterea non recte colligi à legislatore intentionem obligandi transgressorem ad culpam ex eo solum, quod poenam simpliciter, & pure statuerit: quæ in re discedit ab Henric. Gandauensi. cum quo secundum eum conuenit Syluest. in verb. inobediencia. licet Syluest. ipse non satis percipiens quid Henric. scripserit, eum reprehenderit.

Ego sane fateor, legem pure poenalem ex ipsa verborum forma non obligare ad culpam: quamuis culpam ipsam præmittat frequentissime lex ista, ex alia lege diuina vel humana, quemadmodum sensere Driedo, & Caiet. idque eruditissime ostendit ac neruose Alfonso à Castro in dict. cap. 9. concedo item non semper, recte, nec necessarium colligi legislatoris inuentionem obligandi transgressorem ad culpam, ex eo quod legem

pure poenalem statuerit. Scio etenim non esse hanc conclusionem necessariam. Attamen opinor plerumque ex lege pure poenali, quæ poenam in fert pro eo, quod alia lege prohibuit, nec præceptum, quod raro contingit, debet esse vel fecerit, vel agere omiserit id, pro quo poenam statuit, ad mortalem, aut venialem culpam. Nam ex subiecta materia poenalis legis quandoque constabit, legis latorem talem legem statuente intendere, ut fiat, vel omittatur id propter quod poenam imponit. quid enim si id quod fiat vel omittatur expedit Reipublicæ & hæc ratio manifesta sit apud ipsum legis latorem? profecto censerem ipse tunc intentionem legis latorem pure poenalem statuens, eam esse, ut id fiat, vel omittatur. Sic denique si id fieri, vel omitti tantum est simpliciter utile communitati, cuius legis conditor curam gerit, sed & maxime interest eius ad bonum commune id fieri, vel omitti: quod præsumitur ob gratiam poenam lege pure poenali statutam, non ad modum alienatione videbitur, in hac specie coniectura, intendisse legislatorem ad mortalem culpam obligare transgressorem eius, quod in hanc legem mere poenalem pro ius materia debeat. Quam obrem iuxta hunc sensum admitti fortasse poterit quod Henric. Gandauensis & Syluest. adnotant. Sic bene post huius operis primam editionem prodit in publicum opus elegans de iust. & iur. auctore Domini Sor. quod dicitur q. 6. art. 5. hanc posteriorem opinionem sequitur scribens, legem pure poenalem obligare ad culpam.

Postremo ex hac disputatione apparet, non esse iustam, nec congruam rationem opinionis eius, quæ quibusdam placuit, vectigal, tributum, aut decimam rei venditæ estimationis & pretij partem non esse necessariam in animæ iudicio regi soluenda: nec teneri hæc iura fraudantem ad restitutionem: quod leges regie non solventibus hæc regalia iura, poenas à iudicibus exigendas imponant. cõstat etenim fragilem omnino esse hanc rationem minimeque veram efficere hanc tam audacem, & proteruam conclusionem.

Idcirco quaestioni propoſita recipientes, hanc omnino veram conclusionem edimus. tenetur in animæ iudicio propter mortalem, quam contrahit, culpam, ad restitutionem, si qui tributum, vectigal, aliq; regalia iura principi reddere per fraudem aut simulationem omiserit: modo hæc ipsa tributa iusta sint, nec legem iuste exactionis egrediantur. Huius assertionis ratio ea est, quod princeps iuste tributa, ac vectigalia exigat, modo hæc tributa tyrannidem ob excellentiam grauem non sapiant. Probatur hæc ipsa totius veritatis basis & fundamenti pars potissima auctoritate, ac testimonio subuatoris, qui interrogatus, an liceret censum dari Cæsari, respondit Matth. c. 22. Reddite ergo quæ sunt Cæsari Cæsari, & quæ sunt Deo Deo. quo in loco secundum Hieronymum, & Theophylactum præcipit Deus dari, ac reddi tributa Cæsari, & principibus. idem facit dum Matth. 2. 17. iussit Petro, ut staret pro se, & ipso Petro solueret. item Paul. ad Roman. c. 12. in quibus ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes. Nam multi sunt labores, quos principes pro populo tolerant: cuius eorum gerunt, rebusque publicis prospiciunt, ac laborant in executione iustitiæ, veluti cuique reddatur: ut nemo alterum lædat: prouinciæque bello, & armis tutantur, ne à finitimis gentibus opprimatur: quæ ratione iuste principes tributa & vectigalia exigunt à populo. siquid dignus est mercenarius qui operatur, mercede sua ita sane diuinum eloquium dicitur. Luc. c. 10. dignus est operarius mercede sua. igitur sicut principes cauere debent ab iniustis exactionibus, quæ potius ad luxum, & delicias, quàm ad expensas necessarias defensionis, & administrationis Reipub. iustitiamque laboris mercedem pertinent: ita & subditi abstinere debent a fraude, & simulatione, quibus principem ipsi debitis tributis, & tributis defraudent, eum potius teneantur ea reddere principi, eiusque publicanis reddere, inquit Paulus, omnibus debita: eum tributum, cui vectigal, vectigal: cui timorem: timorem: cui honorem: honorem. Hanc igitur sententiam, quod teneatur quis in animæ iudicio principi reddere tributum, vectigal, & alia iura regalia, quæ iusta sint, afferunt Panorm. & ibi Dd. in c. inuoluntate de censibus. & plerique alii, quos referunt, & sequuntur, dicentes hanc opinionem communem esse, Bertachinus in tract. de Gabell. par. 9. in prim. & Syluest. in verb. Gabella. 3. q. 8. eandem sententiam defendunt Ioan. à Medina in lib. de contrah. q. 17. & Alfonso à Castro. lib. 1. de potest. leg. poenalis. r. 1. Dominicus Soto lib. 3. de iust. & iur. q. 6. artic. 7.

